

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ mensis Martii, Anno Domini M. DCC. LX.

PRÆSIDE,

M. GUILLELMO-JOSEPHO DE L'EPINE. Antiquo Facultatis Decano,

M. PETRI POISSONNIER, Scholarum Professoris, & Censoris Regii, necnon Militarium Regis Nosocomiorum in Alsatiâ Medici & Inspectoris Primarii, Doctoris Medici, vices gerente.

An recenti vulnere nudatis ossibus, Exfoliatio?

I.



MOS fuit, nondùm ita antiquus, vix antiquatus vulnera quò majora eò diuturniori committere suppurationi; antequàm spontè (id enim sola facit natura, modò non impedita) coalescere sinerentur. Errorem (artis-ne dicam an artificis?) correxit sagax experientia. Ossium quàm carnium fortuna tunc temporis non melior. Si altiùs adacto vulnere videndam se fortè præbuerat pars ossis aliquanta, non nisi visæ portiunculæ osseæ excidio piandum nefas. Quod voluere patres, volumus nos

quoque : obtinemus ratione diversâ. Nolumus (ut illi nolunt) partem adulteratam præmaturâ obducere cicatrice. Hostem intùs suscipere insanum foret. Constat igitur inter illos & nos, tunc tantùm esse promovendam ossium Exfoliationem ubi aliquid vitii contraxerint.

I I.

ET verò carnearum fibrarum & ossearum conditio non dispar. Illæ, si sphacelo contaminatæ, ferro quantùm potis est ocyùs abscindendæ. Sic hæ, si carie mortiferâ adulterentur, in Medicinâ quis hospes adeò qui neget illicò ferendam opem radulâ (igne si siverit locus) Balsamicis, Antisepticis vulneri leviter applicitis, fomentis resolventibus, spirituosis exteriùs admotis; ac præsertim longâ & patienti morâ, si inter tendones, aponevroses, & contignationes osseas clàm serpere deprehendatur cariosa lues? His enim in casibus natura tacitè sæpè & faustè eò magis operatur, quò blandioribus adjuta topicis, minùs cogitur, & propriis viribus permittitur. Inde sæpe videre fuit laminas osseas è locis omni arti & artifici imperviis, quasi Deum ex machinâ sese ex improviso prodere, ex altioribus ossium compagibus, ex interioribus faciei, carpi, tarsi, &c. latebris, & symptomatibus diris illicò finem facere. Et posthàc quisquam ausit Exfoliationem ossium quæ nihil quicquam vitii contraxerint, ideò tantùm proponere, quià obiter tantùm aëris contactum, recenti vulnere, experta fuerint!

I I I.

UT fibrarum carnearum sic & ossearum fibrarum vitium non est unicum. Ossa scorbuto mollescere viminis instar notum est lippis & tonsoribus. Carie longâ exesa frangi, haud secùs ac vitrum, scorbutica lues seu venerea, causa est non infrequens. Oblita prioris formæ turpiter & ridiculè in insuetas mille, sus deque, contorqueri figuras, Rachitidis ludus haud insolens. Fæda protuberantium exostoseῶν familia, pœnitendæ siphilidis aut scrophularum infausta progenies. Verùm è longinquo trahunt natales diversa hæc symptomata; nec, fungorum more nata, œconomiam humanam lacessunt ex improviso. Quî igitur in ossibus recenti vulnere nudatis, sic conspecto tenùs aëre nascerentur, hostes repentini? Certè longioris moræ opus est ossis nudati alteratio, nec tàm brevi tempore tantùm vitii contrahere potest, ut amandationem illius natura moliatur, aut reposcat ab arte.

I V.

AT, in quies, ossa possunt rumpi transversa, secundùm longitudinem fissa dehiscere, directè aut obliquè cædi, dissilire in fragmenta, collidi, deprimi, contundi, nudata aliquamdiu exsiccari, imò livere. Hæc sunto propria recentium vulnerum symptomata! Sunto. Hic amplus procurandæ Exfoliationi locus! Nullus. Vivis partibus consule, demortuas & avulsas ociùs abige, dubias aut sinceras citò citiùs obtege. Ossa quidem transversìm rupta aut in longum fissa ac dehiscentia vulnus faciunt complicatum. At semi-rupta transversìm, quid impedit quominùs lapsu temporis, quiete, & otio (ut rupta solent) coalescant? Si dehiscant quid tunc Exfoliatio? Præstantiori auxilio opus est. Tunc altiùs suprà fissuræ initia resecandum est membrum. Damno partis salvum fac caput hominis. Fragmina obvia tolle : latitantia ne quæras malè sollicitus. Moræ usuram reddet cum fœnore prudens expectatio. Ossa si graviter collisa, aliò te converte. Si leviter, cave ab Exfoliatione. Majus ab arte quàm à morbo periculum. Depressionem in Diploïcis ossibus curant puncturæ & aliæ artes. In omnibus natura totum opus sæpè sola conficit. Ossium

tæforum directè aut obliquè ut carnium coalitio ipfius ejufdem juris cur non effet? Quid fi tantummodò liveant, propter tardiorem aliquot horarum moram, ferioremque curationem ab inffliĉto vulnere, idcircò corrupta judicabis? Æternæ trades Exfoliationis operæ? Abfit, nimiùm ne crede colori. Non adeò celeriter non tàm citò corrumpuntur offa. Dandum naturæ plurimùm :- tempori dandum non minùs. Sedulò convenientibus, ut artis eft, obtege. Diei confilium dabit dies. Reducta fuper vulnus cutis divulfa Balfamum præpotens afferet. Deficientem fupplebit plumaceolus fpiritu vini imbutus aut ficcus, nudæ foli offis parti applicitus, fuperimpofitis levioribus Balfamicis; non neglectis, pro re natâ, circùm fomentis emollientibus, refolventibus, fpirituofis; minùs adhuc omiffis diætâ, fanguinis miffione, quiete, & congruo victûs regimine. Sic revivifcet quæ livorem à confpecto duxit aëre pars offea. Non fic, non fic putrefiunt illicò, recenti vulnere, nudata offa. Teftes appello, quotquot non hâc in urbe folâ, fed in toto orbe, Chirurgi nomen merentur. Quotiès in complicatis vulneribus cùm fracturâ rupti offis extrema in confpectum venêre, nihil antiquius habuerunt quàm illa fimul componere, in locum reducere. Natura cætera præftitit fola. A fimili, in operationibus Bubonoceles, quid vulgatius quàm inteftinum lividum ac pœnè fphacelo fideratum reponere? Quin & iners illud ac merè paffivum vifcus Epiploon quotiès afpectu fœdum, meliùs abfcindendum, attamen quale erat remiffum in proprias fedes revaluit? Utrobiquè cum fucceffu. Iterùm, iterùm non fic corrrumpuntur offa, aëre confpecto. Non tàm citò quid vitii contrahere valent, ut illorum imminutionem natura moliatur per fe aut ideò artis opem imploret.

V.

AER plagis infenfus! fatemur. Lædit fibras carneas, lædit offeas itidem. Nocet fuccis utrobiquè contentis. Hi acefcunt facilè: illas intercepto liquorum circuitu in putredinem pronas, fi pateant aëri, jam jam exedet fphacelus aut caries! Acido illo univerfali ac primigenio quo turget aër nihil exitiofius! Ominofa verba & grandia. Exitiofum plagis aërem puto. At non ita quî valeat tam brevi temporis fpatio omnia peffumdare. Ac ut fileam mutila diverfa animalium, volatilium terreftriumque genera, quorum offa & carnes benigna omnium parens natura & callo & optimâ cicatrice obduxit, fruftrà reluctante acido illo deleterio aëreo; experientiam tantùm humanam invocare liceat. Dum Chirurgi veteres os quodcumque plus minùs nudatum volebant exfoliatione mulctare, quot menfes dicam aut annos oportuit, antequam offis exteriorem eamque levem bracteam potuerint obtinere? Nullibi igitur gentium exfoliationi erit locus? Parce verbis, iifque contumeliofis. Unam poftulas, duplicem concedimus. Una cruftam dimittit; altera infenfilis, refolutione, ac oculos fallente exudatione, aut, fi vis, interdùm fuppuratione evanefcit. In priori ad inftar fibrarum carnearum fphacelo obductarum, in quibus vivens & vegeta pars fucco laudabili turgida exfuccam marcidamque fpontè dimittit partem demortuam, pars offea fana ac vivida & fucco plena ultrò depellit fibræ partem offeæ exfuccam, detritam, aridam & fucco alibili imperviam. Sic, ut carnis vivæ à demortuâ, fit & offis viventis ab exfucco cortice neceffaria & mechanica feparatio. Carnes omnes lividæ non ideò conclamatæ habentur. Trans vafa pellucida pervidetur fuccus interior jam putrefcens. Calore leni, Balfamicis, &c. priori redditur fluiditati: ofcillant liberè jam folida illæfa; redit vigor. Cum fibris offeis ne credas iniquiùs egiffe naturam. Jurares perditas. Levi & infenfili perfpiratione, refolutione, (fi vis fuppuratione,) vidi falvas fanafque fieri. Nifi proximâ & quâ nihil propius maximè proximâ defquammatione, ociùs ægras partes contege. Cicatrix dubia pro apparatu curationis faluberrimo habeatur, fi conftet

cruſtæ aut fragmenti oſſis non ante menſes exitum eſſe ſperandum. Non infeliciùs occultè operabitur natura quàm in aprico, imò minùs operosè & celeriùs tunc viam ſibi parabit, quâ procùl arceat hoſtem & foràs amandet. Si cruſtam; vulgò per medias ipſas carnes, per mediam ipſam cutem, quam ſciet elegantiùs perforare quàm faceret Chirurgus peritiſſimus, nullo ferè ſuperſtite relicto cicatricis veſtigio. Si reſolutione; per vias inteſtinales, urinarias, circuitûs ſanguinei mediante operâ. Quaſi novum eſſet in hiſce caſibus apud Medicos eneoremata & hypoſtaſes urinarum, aliaque excrementa *judicatoria* obſervaſſe. Pronuntiare igitur ne dubites.

Non, ergò recenti vulnere nudatis oſſibus, Exfoliatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Natalis-Nicolaus Mallet.

M. Franciſcus-Ludovicus-Thomas d'Onglée.

M. Guillelmus Fumée.

M. Marinus-Jacobus-Clarus Robert.

M. Maximilianus-Joſephus Leys.

M. Guillelmus Berthold.

M. Ludovicus-Petrus le Hoc.

M. Antonius-Nicolaus Guenault.

M. Paulus-Jacobus Maloüin, Medicus Reginæ ordinarius, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenſis Socius, necnon Regius Chimicorum librorum Cenſor.

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS DUSSANS, Atyrenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1760.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Med. Typographi, 1760.